

(scilicet quæ sunt ex recto sine, de his enim etiã lo- quitur, & ea agnoscit, etsi rarò in infidelibus, ut dixi in secunda solutione) hoc sensu non esse bona, quia ab ordine vitæ æternæ deficient, eodemque sensu dicitur peccata & vitia, quia eis deest suæ perfectionis plenitudo; hoc verò concessio, permittere ut secundum alium sensum dicantur bona & virtutes.

TEXTUS QUÆSTIONIS.

Inst. Hæc relatio virtualis implicita non sufficit Aug. ergo. Prob. Ant. ex l. 19. de Civit. c. 25. ubi sic ait de virtutibus hominis infidelis: Virtutes, quas sibi habere videtur... nisi ad Deum retulerit, etiã ipsæ vitia sunt potius, quàm virtutes... cum ad se ipsas referuntur, nec propter aliud expectantur, etiã tunc inflatæ ac superbe sunt, & ideo non virtutes, sed vitia iudicanda sunt, atqui, dum virtutes propter se appetuntur, est secundum nos virtualis relatio implicita in Deum; ergo.

R. 1. Et hæc sententiam esse ab ipsis Adversariis solvendam. Non enim volunt, opera Infidelium sine sua relatione virtuali explicita esse peccata & vitia, ut hic dicit Aug. sed infidelem duxerunt in his peccare non referendo in Deum.

R. 2. D. Min. Dem virtutes propter se appetuntur, est virtualis relatio implicita in Deum, si in eis non ultimata sistatur, C. Min. Si in eis ultimata sistatur tanquam in vera beatitudine, N. Min. Et hoc sensu loquitur Aug. ut patet ex verbis immediate seq. Sicut enim, inquit, non est a carne, sed super carnem, quod carnem facit vivere, sic non est ab homine, sed super hominem, quod hominem facit beatè vivere. Aug. ergo illic reprehendit Stoicos, qui in virtutibus moralibus suam beatitudinem constituebant, & de quibus serm. 15. de verbis Apostolic. 7. sic loquitur: „Existerunt autem alii superbi quasi à carne se removentes, & totam spem beatitudinis suæ in anima sua constituentes, posuerunt summum bonum in virtute sua... Tales fuerunt Philosophi, qui Stoici nuncupati sunt... Dicebat Epicureus: mihi frui carne bonum est. Dicebat Stoicus: mihi frui me mente bonum est. Dicebat Apostolus: mihi adherere Deo bonum est.“ Fatemur autem, virtutes sic propter se ultimata appetitas non esse veras virtutes, sed vitia, quippe quod hac prava intentione intercepta relatio virtualis relatio ad Deum, & hæreatur in creatura illa fruendo. Sed si voluntas feratur in opus ex objecto bonum, non hærendo ultimata in ipso, neque in seipsum, aut in alium pravam finem retorquendo, sed ut est bonum inchoatum & in suo gradu constitutum secundum rectam rationem, dicimus, quod sit moraliter bonum, & agens non peccet, quia virtualiter implicitè intendit Deum, ut huius boni inchoati perfectionem & consummationem.

Posset etiã dici, Aug. loqui de virtutibus, quæ ad se referantur, non ratione sui, sed ratione operantis, qui in eis gloriam querit. Unde vocat eas inflatæ & superbas.

VINDICIÆ.

Primitam solutionem, dicit, non esse veram, idque patere ex numero 17. & seq. Nihil autem habet his locis, quod vel leviter eam infingat.

Secundam solutionem conatur impugnare arbitraria August. interpretatione. Deinde arguit ab absurdo: Quis, inquit, unquam sic ex sola misericordia subvenit misero, ut in hac individuali misericordia hic & nunc constitueret suum finem ultimum, &c.

EADDEM QUÆSTIO THEOLOGICA DE RELATIONE OPERUM IN DEUM

Adversus Opusculum R. PATRIS MAUGIS, Doctoris Regentis Lovan. iterum propugnata.

An, & quomodo homo, deliberatè agens, teneatur omnia & singula sua opera referre in Deum?

HUC revocandæ sunt variz intentiones, seu relationes operum in finem, quas ex tractatu de ultimo fine recensimus, scilicet actualis, virtualis, interpretativa & habitualis; sed maxime attendendum ad duplicem virtutalem, quarum unam diximus explicitam ratione prioris

R. Ex Aug. laudato, Stoicos constituisse suum finem ultimum in sua virtute, ideoque partialiter in quolibet actu individuali suæ virtutis.

Deinde conquirunt, quod non sine industria, seu secundum ejus phrasim, non sine artificio, post hæc Aug. verba, Vita sunt potius, quàm virtutes, omiserim hæc sequentia: Nam, licet a quibusdam tunc verè & honestè putentur esse virtutes. Quia, inquit, nemo saltem verisimiliter putabit esse veras virtutes, quæ sic appetuntur, ut in his ultimata sistatur.

R. Me eas particulas omisisse, quia sunt impertinentes ad propositum. Non enim soli Stoici, contra quos agit Aug. putabant sibi verisimiliter, juxta falsa sua principia hujusmodi virtutes esse verè virtutes; sed etiã Julianus, ut vidimus supra ex Aug. volebat, virtutes, non solum in se ultimata sistentes, sed etiã relatas ad pravam finem, esse verè virtutes.

Adjectio ad cumulum, quod, si quis pertinaciter contendat, Aug. loqui de virtutibus, in quibus non ultimata sistitur, nec gloria queritur; debet dicere, quod S. Doctor sumat vitium lato sensu, pro eo, quod est sterile ad vitam æternam, & cui deest aliquid de plenitudine suæ perfectionis ut dicebamus ex ipso Aug. in præcedenti Instantia: alioquin vix salvare poteris S. Doctorem a condemnatione Ecclesie, ut arguo in 1. Responione ad præsentem Instantiam.

Ex hoc, quod concesserim in fine Quæstionis cum Adversariis, Deum esse sicut primum principium itæ & ultimum finem, & ideo ad eum esse referendas omnes nostras actiones; cum hoc tamèn discrimine, quod Adversarii velint relationem virtualem explicitam in Deum ut ultimum finem toties quoties; nos verò dicimus, sufficere virtualem explicitam, quando urget præceptum charitatis, & virtualem implicitam toties quoties.

Ex hoc, inquam, sic arguit: Obligatio referendi omnes nostras actiones ad Deum debet adimpleri per relationem voluntariam; atqui nostra relatio virtualis implicita non est voluntaria; ergo. Et hoc putat ineluctabile argumentum.

R. D. Min. Nostra relatio virtualis implicita non est voluntaria immediate in se, C. mediate in opere bono, quod voluntariè & liberrimè eligitur ex amore honestatis, quæ Deus est, ex dictamine legis naturalis, cujus Deus est autor, & hac ratione in Deum referitur, N. Hoc autem sufficere ut non peccet operans, sãt superque probatum est.

In fine refricat, quod superius de Platonicis dixerat ex Aug. Ep. 118. & quod nos ibid. ut merum figuratum exploximus. Nihilominus, quasi certò vera dixisset, inde me convenit hac Aug. sententia l. 4. contra Julianum c. 14. Obsecro te, ut non sit religiosior Philosophia Gentilium, quàm nostra Christiana, quæ una est vera Philosophia. Quasi Aug. hæc protulerit adversus nostram sententiam, cum tamèn S. Doctor sic loquatur contra Julianum, quia laudabat libidinem tanquam bonam, & quam Tullius in Hortensio damnabat ut malam. Numquid ergo fortè ego, sicut Julianus, laudo libidinem tanquam bonam ut hæc verba simpliciter & crude in me contorqueantur? Quàm veritas in ipsum regeerem illud Petri Actuum 15. alia tamèn occasione dictum Quid tentatis Deum, imponere jugum super crevices Discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus?

Ex his & aliis hæc usque dictis habes, amice Lector, quanta sinceritate, soliditate, claritate, modestia, & charitate processerit iste Scriptor, quamque fidem, quemve assensum illi adhibere debeas. Vale.

tionem præcedente, quæ adhuc perseveret & in opus influat; sic tamèn ut defectus hujus relationis ipsum quidem operantem inficiat, at non ipsum opus. Pro explicatione & assertionem Sententiarum contrariarum, quæ est communis aliarum Scholarum Catholicarum.

Dico 1. Homo tenetur aliquoties omnia opera sua referre relatione virtuali explicita in Deum ut ultimum finem, si ve naturalem, si ve supernaturalem, eo scilicet modo quo illum cognoscit, aut cognoscere potest. Prob. Quia omnis homo si ve fidelis, si ve infidelis, tenetur aliquoties elicere actum amoris Dei, ut ultimi finis, seu super omnia. Id omnes admittunt, etiã de infidelibus; quia, licet Deum ut autorem naturæ non cognoscant, possunt tamèn illum cognoscere, cum de eo non detur ignorantia invincibilis, ut diximus in 1. parte; atqui in actu hujusmodi amoris Dei super omnia, & ut ultimi finis, involvitur virtualiter relatio omnium operum in Deum ut ultimum finem; finis enim ultimus est id, quod propter se appetitur, & cætera propter ipsum. Unde Auctor in 2. d. 40. q. unica a. 5. ad 6. Quando aliquis, inquit, cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere, tunc, quicquid ad seipsum ordinat, in Deum ordinatum erit. Et infra: Quodcumque habitus charitatis exit in actum, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum, & per consequens omnium eorum, quæ in ipsum ordinantur ut bona sibi.

Dico 2. Ut tam operans, quàm opus eximantur à peccato, non est necesse, ut homo deliberatè agens toties quoties referat opus suum in Deum propter se dilectum relatione virtuali explicita, sed sufficit relatio virtualis implicita. Seu, ut distinctius loquar, non est necesse, ut processerit actualis relatio in Deum propter se dilectum, cujus vi & influxu eliciatur opus; sed sufficit, ubi non urget præceptum dilectionis Dei super omnia, ut opus sit ex objecto honestum, & nullo pravo fine, nullave alia prava circumstantia vitatum; sic ut operans ex libera electione conformiter dicatamini rationis & legis naturalis spontè se subjiciat auctori legis, diligensque honestatem particularem hujus operis censeatur diligere virtualiter implicitè primigeniam & fontalem honestatem, quæ est ipse Deus: cujus hæc particularis honestas est participatio, consequenter intendat implicitè ipsum Deum.

Hanc Conclusionem 1. impugnavit D. HAGENS Professor Lovaniensis opere posthumo, si tamèn illius sit, cui opposuit Vindicias. Eadem Conclusionem & Vindicias postea impugnavit R. P. MAUGIS, Doctor Regens Lovan. cui nunc breviter respondeo, paulò tamèn latius quam ferat ratio Compendii: sed ignoscat Lector benevolus; in ejus gratiam, quantum licebit, contraham. Et quia novus Adversarius in id potissimum intendit, ut conquisitis undequaque SS. Aug. & Th. textibus, ostendat SS. Doctores nobis adversari: ego vicissim maxime intendam, ut discussis articulatim omnibus textibus, usque verò sensu intellectis, probem, SS. Doctores nullatenus Sententiæ nostræ refragari. Ad hæc si adjiciam solutionem eorum, quæ contra præcipuos probationes nostras opponit, rem, ut puto, consecero, omissis quibusdam aliis pro & contra; non quod sint convinentia contra me, ut fingere posset, & aliquando dixit, sed quia minus necessaria, minus apta Compendio, & quæ dicam, abundè sufficienter firmant Conclusionem contra ejus conatus. Ipse plura omisit ex his, quæ dixi in utraque editione hujus Quæstionis, ideo se victum putat? Igitur.

Prob. 1. Conclusio. Nulla Lex, nullum præceptum assignari potest, quo homo deliberatè agens tenetur referre opus suum in Deum aliter, quàm sit dictum in Conclusionem, nisi præceptum dilectionis Dei, quod cum sit affirmativum, non obligat ad semper, sed certis temporibus & circumstantiis: ergo, ubi non urget hoc præceptum, non tenetur homo referre opus suum in Deum aliter, quàm sit dictum in Conclusionem. Antecedens, ultra quod patebit ex sol. obj. est expressè D. Th. in 2. cit. ad 6. ubi ait: „Si queratur, quando oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud est, quàm querere, quando oporteat habitum charitatis exire in actum. Et l. 2. q. 100. a. 10. sibi obiciens illud Apostoli: Omnia in gloriam Dei facite; respondet ad 1. sic: Sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum, & ideo præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiã omnia referantur in Deum. Sic, qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod est: Honora parentes; sed ex vi hujus præcepti: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Et cum ista sint duo præcepta affirmativa, non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare; &

itã potest contingere, quòd aliquis implens præceptum de honoratione parentum, tunc non transgrediat præceptum de omissione modi charitatis. “ Si dicas cum Adversariis, S. Th. hic agere de charitate strictè dicta: esto; sed quod dicit de charitate, est etiã intelligendum de amore Dei benevolò, cum utrobiquè sit eadem ratio præcepti affirmativi.

Contra hanc probationem opponit 1. Adversarius, præceptum dilectionis Dei, cum sit affirmativum, non obligare ad semper per actus continuos, obligare tamèn ad semper virtute. R. ut in Vindiciis, hæc objectionem esse directè contra S. Th. eodem enim modo loquitur S. D. de præcepto charitatis ac de præcepto honorandi parentes; istud autem non obligat virtute ad semper: ergo nec illud. Insuper inauditum puto in Scholis, præcepta affirmativa obligare virtute pro semper: hoc enim esset ipsa simpliciter obligare pro semper.

Inst. 1. S. Th. q. 1. de charitate art. 11. &c. alibi in terminis docet, præceptum charitatis obligare virtute ad semper. Quomodo ergo solutio præcedens esset directè contra S. Th. & inaudita in Scholis, præsertim in Schola Thomistica? R. S. Th. neque q. 1. de char. neque alibi hoc docere. Sicque remanet, quòd ista solutio sit directè contra S. Th. & inaudita in Scholis.

Inst. 2. S. Th. eo modo loquitur de præcepto charitatis, ac de præcepto honorandi parentes, dum agitur de tempore, quo elici debet actus charitatis theologicæ, aut quo honorandi sunt parentes, non autem dum agitur de præcepto referendi opera in Deum: nullibi enim dicit S. Th. quòd non teneamur virtualiter & explicitè opera nostra referre in Deum, nisi quando urget præceptum eliciendi actum charitatis. Sed contra. Dicit in terminis S. Th. in 2. d. 40. q. unica a. 5. ad 6. Si queratur; quando oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud est, quàm querere, quando oporteat habitum charitatis exire in actum.

Reponit: S. Th. loquitur de habitu charitatis. Adversarii autem non dicunt, ad relationem virtualem explicitam operum in Deum requiri habitum charitatis, alius qui carens habitu charitatis amaret Deum super omnia amore benevolò, per quod adimpletur præceptum charitatis, non referret virtualiter explicitè omnia sua opera in Deum; quod non admittunt. R. quòd id, quòd S. Th. hic dicit de habitu charitatis, intelligat etiã de amore benevolò: quamvis enim non sit in omnibus eadem ratio habitus charitatis & amoris benevolò, eadem est tamèn secundum S. Th. & rei veritatem, quoad relationem virtualem explicitam operum in Deum. Ideo enim secundum S. Th. & rei veritatem, qui elicit actum charitatis habitualis, omnia opera sua virtualiter explicitè referit in Deum, quia, quando aliquis cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere, tunc quicquid ad se ordinat, in Deum ordinatum erit. Sunt verba S. Doct. loc. citat. Atqui, qui elicit actum amoris benevolò Dei super omnia per quem adimplet præceptum charitatis, se totum ad Dei dilectionem dirigit: ergo eadem est ratio habitus charitatis & amoris benevolò quoad relationem virtualem explicitam operum in Deum.

Neque verum est, ut prætenditur, S. Th. ibi agere duntaxat de eo, quod requiritur ad meritum de condigno, quasi sensus ejus verborum esset: Si queratur, quando oporteat actum referre in finem ultimum, ut operans relatione mereatur de condigno, hoc nihil aliud est, quàm querere, quando oporteat habitum charitatis exire in actum. Hoc, inquam, nullatenus verum est; siquidem homo justus sæpe mereatur de condigno absque eo, quòd habitus charitatis exeat in actum formalem, ut docet S. Th. ib. ad 2.

Opponit 2. contra eandem probationem, retorsionem argumenti sic: Præceptum affirmativum non obligat ad semper: ergo non tenetur homo ad semper opus suum referre relatione virtuali implicita in Deum R. N. Cons. Disparitas est, quòd præceptum affirmativum referendi virtualiter implicitè omnia opera in Deum, non solum involvat, sed coincidat cum præcepto negativo nunquam agendi malum, seu in eo fundatur tanquam in ratione sui; non sic præceptum charitatis. Querenti enim, cur teneat referre virtualiter implicitè actum meum in Deum, rectè respondeo, quia prohibeor aliquem actum malum facere; hoc ipso enim quòd bonum absolute ago, virtualiter implicitè referatur in Deum. Nec aliquid ulterius responderi potest. Querenti verò, cur teneat referre omnia opera virtualiter explicitè in Deum, responderi non potest, quia prohibeor non referre, aut aliquem actum malum facere, sed quia Deus est ultimus finis. Si dicas: Quia

Quia non licet herere in creatura; ulterius queram, cur non liceat herere in creatura; & nihil aliud responderi potest, quam quia Deus & non creatura est ultimus finis. Insuper factum est, quod, qui actum absolute bonum virtualiter implicite ad Deum relatum facit, heret in creatura.

Opponit 3. contra eandem probat. S. Th. in his verbis 1. 2. q. 100. a. 10. *Et cum ista duo precepta, nimirum diligendi Deum & honorandi parentes, non obligantia ad semper, possint diversis temporibus obligare, & ita potest contingere, quod aliquis implens preceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur preceptum de omissione modi charitatis.* In his, inquit, verbis, ex concessis a nobis, D. Th. agit de charitate stricta & sub gravi obligante, sed non ad semper, quia preceptum charitatis status duntaxat temporibus obligat. Quod quis autem possit implere preceptum de honoratione parentum, & non peccare mortaliter, quamvis non eliciat actum charitatis, non sequitur, quod possit illud implere, & nequidem peccare venialiter, quamvis omitat relationem in Deum. R. 1. Nego, me concessisse S. Th. agere ibi de charitate stricta, id tantum permisi: *Esto*; inquit: quod vocabulum, ut omnes norunt, non est concessio, sed transit permissio. 2. Quamvis preceptum charitatis secundum se obliget sub gravi peccato, non tamen concessi, quod non possit per accidens & ex circumstantiis obligare sub levi peccato, ut in aliis preceptis credendi, sperandi, honorandi parentes, solvendi debita, &c. 3. Non concedimus, quod preceptum charitatis, etiam late sumptae, referendi omnes & singulos actus nostros virtualiter explicite in Deum, si detur, secundum se obliget tantum sub veniali. De quo infra. 4. Denique S. Th. loquitur de charitate strictae vel late sumptae pro amore benevolae, perinde est quoad presentem questionem, cum utriusque preceptum sit affirmativum. Quae est inter nos & Adversarios, utrum secundum S. Doctorem teneatur ex precepto charitatis, sive strictae, sive late sumptae pro amore, referre virtualiter explicite omnes & singulos actus nostros in Deum? Si teneatur, ut volunt Adversarii, ergo obligat illud preceptum in omni actu, quod tamen discretus negat S. Th. quia est affirmativum. Videat nunc quae sit vis argumenti.

Ad id, quod dixerat D. HAGENS, phras S. Th. preceptum non obligare, nisi dum & in quantum adstringit sub mortali; Respondi in Vindiciis, sensum S. Th. esse, quod peccatum veniale non sit contra Legem hoc sensu, quod non evadat finem Legis; esse tamen contra Legem hoc sensu, quod prohibeatur a Lege. Et hoc concedit novus Adversarius; sed quia in hac rem quosdam textus D. T. citaveram, contendit me perperam eos citasse, & videtur me quasi oscitantem, aut male fidei arguere. Quamvis non difficile foret nostrum sensum in his textibus comprobare; quia tamen concedit, quod principaliter intendo, & ipse dicat se istis non indigere, sufficit ad amovendam oscitantem, aut male fidei suspicionem, si dicam me hos textus citasse eodem modo & eodem sensu, quo illos citavit celeberrimus Sylvius 1. 2. q. 71. art. 6. quem noino, ut puto, oscitantem & male fidei arguet. Maneat ergo inconcussa 1. probatio.

Prob. 2. Conclusio. Infidelis, seu peccator, qui nulla procedente actuali relatione in Deum propter se dilectum facit eleemosynam ex motivo misericordiae, honorat parentes ex motivo pietatis, solvit debita ex motivo iustitiae, ex nullo capite peccat: non ex parte objecti, quod bonum & honestum est: non ex parte circumstantiarum, quia suppono nullam pravam adesse: non ex defectu finis, quia habet pro fine proximo & explicito honestatem particularem huius operis; & cum hac honestas particularis ex se tendat & referatur ad fontem, auctorem & consummatorem totius honestatis, qui est Deus, Deum habet virtualiter implicite pro fine ultimo.

Conf. 1. Qui vult aliquid opus bonum, v. gr. eleemosynam formaliter explicite propter particularem illius honestatem, vult virtualiter explicite propter honestatem secundum se; non enim movetur formaliter explicite ab honestate particulari, quin moveatur virtualiter explicite ab honestate secundum se; & cum hac honestas secundum se in re sit Deus, vult virtualiter implicite propter Deum.

Conf. 2. & magis explicatur hac fundamentalis ratio. Peccator, seu Infidelis, in quo amor honestatis & aequitatis naturalis non est penitus abolutus, qui ex eo amore quaedam iusta & honesta facit absque ulla admixtione pravae circumstantiae, sed conformiter dictamini rectae rationis, & Legis naturalis, v. g. reddit proximo quod suum

est, servat fidem amico datam, miseretur innocentis afflicti, &c. praecise, quia haec iusta videt; & ad ea se tenet lumine naturali sentit; 1. Hic & nunc obediunt Deo, licet cum non satis explicito cognoscat, quia facit, quod Deus omnis aequitatis auctor facere praecipit. 2. Operatur implicite propter Deum, quia operatur propter aequitatem & honestatem naturalem, cuius Deus est auctor & consummator. 3. Implicite & secundum quid amat Deum ut primam actionem honestarum regulam, quia amat honestatem, quam Deus amare praecipit. Unde Aug. in Ps. 100. *Quidquid bene fit, quia ex eius precepto fit.*

Et haec est expressissima S. Th. sententia, qui in e. 14. Rom. Lect. 3. decretorum verbis dicit: *In homine infideli cum infidelitate est bonum naturale. Et ideo, cum aliquis infidelis ex dictamine rationis aliquid bonum facit, non referendo ad malum finem, non peccat.* Nihil sane expressius, & est ipsa conclusio nostra; nec video, quid respondeant Adversarii. Neque enim dicere possunt, quod non peccet peccato operis, sed operantis, cum dicit S. D. absolute, indefinite, & sine ulla restrictione, *Non peccat*: ergo neque peccato operis, neque peccato operantis, alias peccaret. At forte S. Th. intelligit de peccato mortali, scilicet quod non peccet mortaliter, bene tamen venialiter. Ita quidem interpretatur Adversarius, sed toto caelo aberrat. Subdit enim immediate S. D. post verba laudata: *Non tamen opus eius est meritorium, quia non est gratia informatum.* Ut quid, amabo, S. Th. hanc observationem addidisset, si consulisset hunc infidelem peccare venialiter in bono suo opere? Nunc forte aliquis unquam somniasit, hominem peccando venialiter mereri, aut peccatum veniale esse meritorium?

Sed inquit Adversarius, S. Th. satis explicat, se intelligere de peccato mortali, immediate subiiciens: *Cum vero homo infidelis aliquid agit, ex eo quod infidelis est, manifestum est, quod peccat*; utique mortaliter. Sed contra: in primis fallitur Adversarius, non immediate, sed post plures lineas S. Doctor haec verba prioribus subiicit. At id parum. S. Th. his posterioribus verbis priora explicare ad sensum Adversarii, ne vel Argus centum oculis videret. S. Th. in posterioribus verbis agit de peccato mortali: *Esto*; ideoque in prioribus verbis? Infidelis agens ex infidelitate peccat mortaliter: ergo Infidelis agens ex dictamine rationis aliquid bonum, non referendo ad malum finem, peccat venialiter, est non mortaliter: Quae consequentia! Sit exemplum familiare. Adversarius penitenti consulenti de diffamatione proximi respondet: si reveles gravia peccata proximi propter finem bonum & necessarium, non peccas: si reveles ex odio & intentione diffamandi absque necessario fine, peccas. In 2. membro agitur de peccato mortali: ideoque etiam in primo? Ideo ne reveles peccatum proximi ob bonum & necessarium finem peccat venialiter, etsi non mortaliter? En, quibus glossis & interpretamentis obscurantur verba clarissima S. Doctoris, ut vel invitus habeatur Patronus singularis opinionis contra communem Scholarum Catholicarum sententiam. Redeat ergo argumentum, prius factum. S. Th. dicit absolute, indefinite, & sine ulla restrictione, hunc infidelem non peccare: ergo non peccat, neque mortaliter, neque venialiter: alioquin peccaret, quod negat S. Thom. Eodem modo & sensu loquitur S. D. 1. 2. q. 10. art. 4. o. ubi dicit: *Non oportet, quod in omni suo opere peccent infideles, sed quoadcumque aliquid opus operantur ex infidelitate, tunc peccant.* Insuper contra hanc probationem opponit 1. Adversarius retorsionem argumenti de actu conjugalit ex D. Th. in 4. d. 31. q. 2. art. 2. sed de hoc in Sol. Obj. Obj. 3. Opponit 2. Iste Infidelis, seu peccator non peccat quidem peccato actionis, peccat tamen peccato omissionis, in quantum opus suum actu, vel virtute non refertur ulterius in Deum, & ita stat in creatura, quod sine peccato esse non potest. R. Hunc Infidelem, seu peccatorem neque peccare peccato omissionis, quia opus eius sufficienter refertur in Deum, nec datur preceptum ulterius referendi, vel assignet; sicque non heret in creatura. Insuper S. Th. formalissime, indefinite, absolute, & absque ulla restrictione dicit, hunc non peccare: quid ergo nobis occentat distinctionem inter peccatum actionis & omissionis? forte ista distinctio subterfugit sagacitatem Angelici Doctoris?

Opponit 3. contra eandem probationem. Nostra virtualis relatio non excusat ab omni peccato, ut patet ex S. Th. de actu conjugalit. Sed ut ante de hoc arg. in Sol. Obj. 3. Interim audiat S. Th. cit. *Non peccat*: ergo excusatur ab omni peccato. Opponit 4. contra eandem prob. Nostra relatio non est veri nominis relatio, alias, qui legit aut studet,

det, quia amat aliquam particularem virtutem, censeretur implicite Deum diligere, qui est prima veritas. R. Veritatem esse objectum intellectus, non voluntatis, nisi ut bonam, statui suo convenientem secundum dictamen rationis & prudentiae; hinc censebitur diligere Deum virtualiter implicite, sicut in aliis bonis operibus. Et sic manent inermes conatus Adversarii contra hanc probationem, quae proinde stat in suo robore.

Prob. 3. Conclusio. Si homo deliberat agens tenetur referre omnes actiones suas in Deum propter se dilectum relatione virtuali explicita ad sensum Adversariorum, defectus huius relationis vitaret, non solum operantem, sed etiam opus; atqui falsum Consequens, fatentibus ipsis Adversariis: ergo. Prob. Sequela Majoris. Actus, non ordinatus ad debitum finem, est actus inordinatus & malus. Unde S. Th. 1. 2. q. 18. a. 1. o. dicit: *Actus a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem mali.* Ex quo principio inferri, non dari actum indifferenter in individuo; atqui, juxta Adversarios, actus, non relatus ad Deum propter se dilectum relatione virtuali explicita est actus non ordinatus ad debitum finem: ergo.

Reponunt Adversarii, defectum relationis operantem afficere, sed nullo modo opus; consequenter, etsi peccet operans per relationis explicitae defectum, opus tamen manet intactum. Idque probare contendunt variis exemplis: sic, inquit, qui voto tenetur recitare 7. Psalmos penitenciales flexis genibus, si eos attendit & devotè recitando, peccat, sed ejus actio non est mala: Sic, qui ex precepto Confessarii tenetur referre virtualiter explicite in Deum eleemosynam sibi injunctam, & dando eleemosynam hanc relationem emittit & peccat, sed eleemosyna non est mala: Sic, qui ex precepto Ecclesiae tenetur jejuniare ad averendum bellum & famem, & jejuniat tantum propter unum finem, peccat, sed ejus jejuniatio non est mala, & R. Disparitatem esse, quod in his & similibus exemplis obligatio afficiat agentem & non actum; in nostro autem casu, secundum principia Adversariorum, afficit utrumque: quia juxta illos ista obligatio oritur ex dominio, quod Deus ut primum principium, & ultimus finis habet non solum in agentem, sed etiam in ejus actionem; consequenter haec obligatio afficit agentem & actum: nec minus iste finis debetur actioni in individuo, quam qui dicitur aliunde intrinsecus, estque diverse rationis ab aliis circumstantiis: unde, sicut, secundum nos, actus foret malus, si ratione alicujus circumstantiae non referretur virtualiter implicite in Deum, sic secundum Adversarios debet censeri malus, si non referatur explicite in Deum, praesertim cum juxta illos heret in creatura.

Contendit adversarius, solum defectum finis debere nunquam formaliter vitare actionem. Quid ergo vult S. Th. ... quando dicit, quod *Actus, a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem mali*? Respondet: *Non dicit S. Th. ... quod actus ad nullum debitum finem ordinatus formaliter vitetur a solo defectu finis.* Dicit, velim, nunc actum repugnare rationi, & fieri malum ex defectu debiti finis, non sit actum vitari formaliter ex defectu debiti finis? Ita sunt Synonyma.

Non negamus tamen, agentem absque debito fine habere malum finem, non secundum se, sed hoc sensu malum, quia non est debitum; ex hoc ipso enim, inquit S. Th. actus repugnat rationi, & habet rationem mali, eodemque sensu dicit S. Th. in 2. d. 40. a. 5. ad 5. quod finis actus deliberati non possit esse indifferens. Et sic concidunt praecipua argumenta Adversarii. Insuper, dato requiri finem positive, & secundum se malum in agente absque debito fine, ut ejus actus sit malus, habetur in sententia Adversariorum, scilicet haecio in creatura. Ceterum repeto, quod dixi in prima editione huius Questionis, & deinde in Vindiciis, me non insistere principaliter huic argumento. Imò permisi, & etiam nunc permitto Adversariis, quod intendunt. Dato, inquebam, *Opus defectu relationis non infici.* Quapropter supervacaneum puto hic diutius immorari.

Prob. 4. Conclusio. Si homo defectu relationis virtualis explicite in Deum propter se dilectum peccat, cum opus ex objecto bonum facit, sequitur quod necesse sit infidelem, quando manet infidelis, peccare in omni opere, quod est damnatum ab Alex. VIII. in hac propositione: *Necesse est, infidelem in omni opere peccare.* Est 8. Quod obvio sensu intelligitur, quando est infidelis.

Opponit 1. contra hanc probationem Adversarius, se agnosceret in Infidelibus gratias sufficientes, cum quibus *Theol. Billuart. Secunda Secunda.*

possunt vitare peccatum. R. Vel ille gratie sufficientes inferunt cognitionem veri Dei, vel non: si primum, desinunt ex hac parte esse Infideles; propositio autem damnata intelligitur de Infidelibus, quamdiu manent Infideles: si secundum, non poterunt referre actus suos virtualiter explicite in Deum, quem ignorant; & sic defectu huius relationis necessario peccabunt in omni suo opere.

Opponit 2. Infideles in sua sententia non peccare in opere, sed in omissione. Sensus autem obivus huius propositionis, *Peccare in opere*, est quod opus sit vitiosum. R. Quod scus obivus huius propositionis, *Infidelis peccat in omni opere*, sit, *Infidelis peccat quoties operatur*, sive peccet peccato operis, sive operantis. Sicut, cum dicimus gallice, *Il peche dans toutes ses actions*, sensus est, *Il peche toutes les fois qu'il agit.* Admittunt autem Adversarii, Infidelem peccare quoties operatur, defectu scilicet relationis explicitae. Insuper, hunc esse sensum damnatae Propositionis, erimus ex circumstantiis: quia, si summ. Pontifex damnasset tantum hanc Propositionem, quatenus dicit opus esse vitiosum, nihil aliud damnasset, quam quod jam erat damnatum a tribus summ. Pontificibus in Bajo, scilicet omnia opera Infidelium esse peccata. Neque dicas, hanc 2. Propositionem adicere prius novam falsitatem, dnm dicit: *Necesse est*, omnia opera Infidelium esse peccata: id enim etiam importatur in prima. Si namque omnia Infidelium opera sunt peccata, procul dubio necesse est sic esse, alioquin aliter aliquando contingeret. 2. Quia, juxta Bajum huius propositionis Auctorem, ideo omnia Infidelium opera sunt peccata, quia non referuntur explicite in Deum; atqui impossibile est, opera in Deum explicite referri ab iis, qui illum ignorant, ut sunt Infideles: ergo necesse est, in sensu Propositionis damnatae, omnia Infidelium opera esse peccata.

Item Bajus dicebat, opera Infidelium ad Deum non relata esse peccata, quia adscribebat defectum relationis ipsi operi. Et cum quidam Theologi post ejus damnationem, ut eam declinarent, dicerent opus non esse peccatum, sed tamen operantem peccare defectu relationis, adscribentes nimirum defectum relationis operanti & non operi, iterum fuerunt damnati in superiori Propositione. Non ergo fuerunt damnati, quia dicebant opera infidelium esse peccata; sed quia dicebant, Infidelem peccare in opere, seu operando sine relatione.

Instat Adversarius. Qui dicit de aliquo Auctore, *Peccat in stylo*, sensus est, quod stylus sit vitiosus: ergo cum dicitur, *Infidelis peccat in omni opere*, sensus est, quod omnia ejus opera sint vitiosa. R. Dato Ant. N. Conseq. Disparitas est 1. quod in Propositione Adversarii explicite determinetur objectum & materia, in qua peccatum est; non sic, cum dicitur generaliter, *peccat in omni opere*, quod secundum communem intelligentiam significat, quoties operatur, ut dictum est. Secundo disparitas est, quod sensum, quem tribuimus Propositioni damnatae, erimus ex circumstantiis, quales non habet propositio singularis Adversarii: sensus autem naturalis & obivus alicujus Propositionis attendi debet ex circumstantiis. Ceterum, ut jam alias monui, haec dicta sint arguendo & disputando, non asserendo; neminem enim damnare intendimus.

Prob. 5. Conclusio. Si esset obligatio referendi virtualiter explicite omnia opera ad Deum propter se dilectum, haec obligatio foret ex genere suo sub mortali peccato; atqui falsum Consequens, fatentibus Adversariis: ergo & Ant. Prob. Sequela Maj. 1. Quia istam obligationem fundant in precepto diligendi Deum ex toto corde; atqui hoc preceptum obligat ex genere suo sub mortali, ita ut illius transgressor in re gravi peccet mortaliter, ut omnes fatentur; potest autem hic esse materia gravis, ut si v. gr. longa series actionum in statu eligendo subtraheretur Deo, & ad ipsum propter se dilectum non referretur: ergo. 2. Quia fundant iterum hanc obligationem in precepto naturali agnoscendi & constituendi Deum sicut primum principium, ita & ultimum finem omnium actionum nostrarum; atqui objectum huius precepti naturalis est secundum se grave: ergo & obligatio gravis quia obligatio precepti naturalis sequitur naturam sui objecti. 3. Quare ab Adversariis, quo fundamento, Deo praecipiente omnia ad se propter se dilectum referri, dicunt istud preceptum obligare tantum sub veniali, dum alia praeccepta sive naturalia, sive divina positiva, ubi objectum secundum se est grave, obligant secundum se & ex genere suo sub mortali?

Opponit Adversarius contra hanc Probationem sic. Qui

solvit gravia debita, vitam pro Patria fundit, non subtrahit Deo relationem rei notabilis, quae est quid leve. R. Qui haec facit absque relatione explicita in Deum in principio Adversarios, subtrahit Deo rem notabilem. 1. Quia, quod sit, & non sit propter Deum, illi subtrahitur. 2. Quia in his gravibus non habet Deum pro ultimo fine, & haeret in creatura, quod est quid grave. Quia in re gravi transgreditur preceptum dilectionis Dei super omnia.

Instat. Qui vovisset referre Deo explicitè omnia sua opera deliberata in Deum, non peccaret mortaliter omitendo relationem rei notabilis: ergo similiter. R. 1. N. Cons. quia votum non obligat, nisi secundum intentionem voventis; non censetur autem vovens intendisse se obligare sub mortali ad relationem unius, aut alterius rei, etiam notabilis: at non sic de precepto naturali & divino referendi explicitè omnia ad Deum, si detur. 2. Abstrahendo ab intentione contraria voventis, existimo verum, quod, qui tali voto adstrictus pluries & diu in gravibus negotiis omittit hanc relationem, peccaret mortaliter.

Instat iterum. Teneatur iuxta nos omnia opera nostra referre in Deum relatione virtuali implicita ex precepto naturali & divino; quod in materia gravi obligat graviter: ergo peccat mortaliter, qui eleemosynam mille florenorum erogat pauperibus ex vana gloria; quod est falsum. R. N. Consequenter. Quia preceptum referendi virtualiter implicitè omnia opera nostra in Deum non distinguitur a precepto non faciendi malum, ut jam alibi dixi: unde obligat iuxta quantitatem mali, ita ut, si malum sit grave, obliget sub mortali; si leve, ut est vana gloria, obliget sub levi. Id autem dici non potest de precepto referendi omnia in Deum relatione virtuali explicita, si detur, ut jam antea ponderavimus.

Quae ulterius opponit Adversarius contra hanc probationem, redibunt in Sol. Obj. Et haec plusquam sufficienter ad stabilendam & firmandam Sententiam, quae est communis Scholarum Catholicarum, ut restantur 14. ejus Approbatores in prima Editione. Quamobrem, & ne diutius in Compendio detineam Lectorem pro his, quae sunt minoris momenti, quasdam alias probationes ab inconvenienti hic omitto.

Id unum dumtaxat observari velim, quod iuxta Adversarios teneantur omnes actus referre relatione explicita in Deum ex amore benevolentiae, idque ratione precepti diligendi Deum super omnia, & quia est noster ultimus finis, alias esset haerere in creatura. Quando autem inde inferimus, quod, si observat mandata Dei ex obedientia tantum, qui elicit actum huiusmodi aut spei, seu agit intuitu aeternae mercedis, sine ulteriori relatione ad Deum propter se dilectum, peccat, quia illa non refert ad Deum, ut in se bonum, adeoque non ex amore benevolentiae, nec ut est ultimus finis. Respondent ad 1. quod omnis actus benevolentiae feratur in Deum ut in se bonum: quia secundum D. Th. amare Deum amore benevolentiae est velle illi bonum, quod in praefatis actibus reperitur. Ad 2. quod hi actus referantur in Deum ut ultimum finem, hoc sensu quod sit propter ipsum, & non propter aliud.

Contra 1. Amare Deum amore benevolentiae, est quidem velle illi bonum, sed absque praedictio objecti formalis huius amoris, quod est Deus in se bonus. Etenim objectum amoris est bonum; vel ergo homo amat Deum ut sibi bonum, & est amor concupiscentiae; vel ut in se bonum, & est amor benevolentiae. Unde S. Th. 2. 2. q. 27. art. 2. ad 1. dicit, quod, cum Philosophus definit amare, quod est velle alicui bonum, definit amare non ponens totam rationem ipsius, sed aliquid ad eius rationem pertinentem, in quo maxime manifestatur dilectionis actus. Contra 2. Finis ultimus est supremum bonum, quod propter se appetitur, & omnia propter ipsum, ratione cuius ideo debemus, secundum Adversarios, omnes actus nostros ad illum referre: ergo, ad inducendam hanc obligationem, non sufficit finis ultimus secundum quid, ut exponitur.

Et haec sunt praecipua, quae continentur in his, quae hic fustius ultimus expendimus, & quae non tam probant, Adversarios ex hac parte male sentire, quam eos non loqui consequenter ad sua principia.

Convolvuntur fundamenta Adversarii.

Opiniones suae fundamenta repetit adversarius ex variis textibus SS. Aug. & Th. quos sibi favere existimat. Hos ergo discutiamus.

Sol. Obj. ex S. Thoma.

Obj. 1. S. Th. in 1. d. 1. q. 3. art. unico, querens, utrum utendum sit omnibus aliis a Deo, dicit 1. *Pena utendum est, & ordinanda ad finem secundum quod promovet meritum hominis, ducens eum in considerationem suae infirmitatis, & secundum quod purgat peccata*; atqui tolerantia poenae propter finem naturalem & honestum non promovet meritum hominis, nec purgat peccata: ergo. 2. Ibidem 2. loco objicit sic: *Illo utitur, quo tendentes ad beatitudinem juvamus: sed creaturis impedimur frequenter, &c. Ergo non omnibus possumus uti*. Cui argumento sic respondet. *Ad 2. dicendum, quod creaturae, quantum est ex se, non impediunt nos a consequenda beatitudine, sed ex parte nostra, in quantum eis abutimur in eis sistendo ut in fine*: ergo agit D. Th. de tali creaturae usu, qui tendentes ad beatitudinem juvat; admittit enim ut veram majorem argumenti propositi; atqui creaturae usus ad beatitudinem juvenis explicitam relationem importat; implicita enim, cum sit naturalis, ad eam non juvat: ergo. 3. Ibid. ad 3. dicit: *Secundum Theologum nullus actus procedens a voluntate deliberat est indifferens; quia, si fertur in Deum, supposita gratia, est meritorius; si autem non est referibilis, peccatum est; si vero referibilis est, & non refertur, vanus est*; atqui actus referibilis in Deum non est actus malus; neque actus secundum speciem indifferens; quia, cum relatio sit circumstantia, praesupponit actum in specie mali constitutum: ergo est actus moraliter honestus: ergo praeter ejus relationem implicitam indiget explicita, alioquin secundum D. Th. est vanus & otiosus.

R. 1. Generaliter S. Th. in hoc art. nihil aliud intendere, quam quod possit & debeat homo uti creaturis & non frui, sicut dixerat de Deo q. praeced. Inter autem varios modos utendi creaturis, dicimus quod qui facit opus bonum, v. gr. qui solvit debita ex amore justitiae, parentes honorat ex pietate, sine ulteriori relatione, utatur, & non fruatur creatura, quod nusquam negat S. Th. R. 2. etiam generaliter S. Th. in hoc art. ut homo non peccet in usu creaturae, seu in operibus suis, requirere dumtaxat relationem habitualem. Similiter, inquit in fine corporis, *Opera nostra, quae mala non sunt, ab ipso sunt, & propter ipsum faciendae, non quod quilibet operationem oporteat semper actualiter referre in Deum, sed sufficit, ut habitualiter in Deo constituat finem suae habitualitatis*.

Reponit Adversarius, To habitualiter sumi a D. Th. pro virtualiter. Sed contra. Quamvis non negem, ita aliquando sumi a S. D. non ita tamen sumi in hoc articulo. Patet ex respons. ad q. ubi dicit, peccantem venialiter habere Deum habitualiter pro fine: ubi To habitualiter sumi non potest pro virtualiter, cum certum sit hominem non peccare propter Deum virtualiter. Non est autem verisimile, S. Th. eundem terminum diverso sensu accepisse in eodem art.

Instat Adversarius. S. Th. ad 3. dicit: *Si actus refertur in Deum, supposita gratia, meritorius est*; atqui, si S. Th. terminum habitualiter non sumat pro termino virtualiter, ejus responsio habebit hanc sensum, *Si actus refertur in Deum vel actualiter, vel habitualiter, supposita gratia, meritorius est*: quod est falsum, cum relatio habitualis non sufficiat ad meritum. R. N. Min. Quia S. Th. intelligit de gratia influente, est enim necessarius influxus gratiae ad meritum: ubi autem est influxus gratiae, est plusquam relatio habitualis.

Ei haec duae responsiones generales sufficerent ad omnia, quae opponit ex D. Th. loco cit. ex abundantia tamen R. ad singula.

Ad 1. r. D. Min. Tolerantia poenae propter finem naturalem non promovet meritum hominis, nec purgat peccata actualiter formaliter, C. praesuppositivè, N. Non dicit autem S. Th. quod utendum sit poena, actualiter merendo & purgando peccata, ad id enim non sufficeret relatio explicita; sed quod sit utendum poena secundum quod promovet ad meritum, ducens hominem in considerationem suae infirmitatis, & secundum quod peccata purgat: qui autem patienter patitur, v. gr. morbum causatum ex intemperantia; aut mortem, ad quam est damnatus propter homicidium, agnoscens poenam suam criminis esse debitam, is poena utitur secundum quod promovet ad meritum, ducens ipsum in considerationem suae infirmitatis, & secundum quod purgat peccata, hoc sensu, quod huiusmodi tolerantia praesupponatur & praerogatur ad meritum actuale, ita ut, concurrentibus aliis

aliis ad meritum requisitis, de facto mereretur. 2. Dato, quod S. Thom. intelligat de usu actualiter meritorio, in hoc docuit modum optimum utendi poena, sed non necessarium: nisi velis, omnem usum poenae, qui non esset meritorius, esse malum, quod falsum est. Ad 2. Nihil est in responso D. Thom. quod militet contra sententiam nostram, nisi supponendo, quod admittat Majorem Argumenti propositi, non solum ut veram, sed etiam ut exclusivam omnis alterius modi utendi creaturis, quod non probat nec probabit Adversarius, nisi intelligendo, ut supra de usu creaturae, qui juvet praesuppositivè tendentes ad beatitudinem. Ad 3. N. Min. pro 2. parte, & illius probatione, quia in actibus secundum speciem indifferentibus, circumstantia finis confert illi primam speciem moralem in individuo, ut docetur in Tract. de Actibus humanis. Insuper non dicit S. Thom. quod qui actus referibilis non refert, simpliciter peccet; sed quod ejus actus sit vanus, otiosus, & peccaminosus, quod jugulat sententiam Adversarium, si intelligatur de relatione explicita; negant enim, actum defectu relationis explicitae esse malum, & peccaminosum.

Obj. 2. Textum D. Th. in 2. d. 40. q. 1. a. ult. ad 7. cui abundè satisfeci in 1 & 2. editione hujus Quaest. Et cum nihil aliud reponat Adversarius quam quod dixit D. Hagens, pro responsione videtur Vindicta nostra n. 36. 43. & sequentibus.

Obj. 3. S. Thom. in 4. d. 31. q. 2. art. 2. habetur q. 49. Suppl. 2. 5. in resp. 2. dicit: *quod proles, proit est bonum Sacramenti, addit supra prolem proit est bonum intentionum a natura: natura enim intendit prolem, proit in ipsa salvatur bonum speciei; sed in prole, secundum quod est bonum Sacramenti Matrimonii, ultra hoc intelligitur, ut proles suscepta ulterius ordinetur in Deum: & ideo oportet, quod intentio naturae, qua prolem intendit, referatur actu, vel habitu ad intentionem proles, proit est bonum Sacramenti: alia staretur in creatura, quod sine peccato esse non potest. Et ideo, quando natura tantum movet ad actum matrimonii, non excusatur a peccato omnino, nisi in quantum motus naturae ordinatur actu, vel habitu ulterius ad prolem, secundum quod est bonum Sacramenti*. Non potest autem intelligi per habitualem relationem relatio implicita, quae jam supponitur in ipso actu conjugali rite peracto causa proles, & fidei, siquidem, ultra illam, aliam requirit S. Th. ergo explicite requirit.

Pro hujus Argumenti solutione exponenda est Doctrina laudati art. In primis S. Thom. in corpore art. dicit, *quod sicut bona matrimonii secundum quod sunt in habitu, faciunt matrimonium honestum & sanctum; ita etiam secundum quod sunt in actuali intentione, faciunt actum matrimonii honestum, quantum ad illa duo bona, quae ipsius actum respiciunt*. Duo autem bona, quae actum matrimonii respiciunt, sunt proles, & fides. Et ideo addit S. Thom. *Unde quando conjuges conveniunt causa proles procreandae, vel ut sibi invicem debitum reddant, quae ad fidem pertinent, totaliter excusantur a peccato*. Nihil ergo aliud requiritur ut actus conjugii excusetur totaliter a peccato, quam intentio proles, vel fidei, sine aliqua prava circumstantia. Et ratio nem subjicit S. D. quia nempe tertium bonum, quod est bonum Sacramenti non pertinet ad actum, sed ad essentiam matrimonii. Sed tertium bonum, inquit, non pertinet ad usum matrimonii, sed ad essentiam ipsius, ut dictum est: unde facit ipsum matrimonium honestum, non autem actum ejus.

Concilianda est haec Doctrina cum resp. ad 1. quae nobis objicitur. Si S. Thom. requirit necessariò relationem explicitam in bonum Sacramenti, ut conjuges excusentur totaliter ab omni peccato: ergo non solum bonum proles, & fidei, sed etiam bonum Sacramenti pertinet ad actum conjugii; neque solum ipsum matrimonium, sed etiam ejus actum honestum reddit; quod disertè negat S. Th. Item neque conjuges, convenientes tantum causa proles, vel fidei, totaliter excusantur a peccato, quod disertè affirmat D. Th. Dicendum itaque, quod in Responsione ad 1. per relationem habitualem ad bonum Sacramenti non intelligat istam relationem explicitam Adversarium, sed implicitam in ipso actu conjugali rite peracto causa proles, vel fidei, absque ulla circumstantia vitiana.

At, inquit Adversarius, jam supponitur relatio habitualis in actu conjugali causa proles, vel fidei: ergo aliquid aliud requirit S. Th. R. D. Ant. Jam supponitur relatio habitualis in actu conjugali causa proles, vel fidei; si nulla circumstantia vitietur, C. Si vitietur, aliqua circumstantia, prout facile vitari potest, in hac praesertim materia, N. Cum enim tunc non referatur ad Deum, nec ad bonum Sacramenti refertur.

Theol. Billuart. Secunda secundae.

Adde, quod S. Thom. per relationem habitualem intelligeret explicitam, sequeretur, quod sine ista non solum conjuges peccarent simpliciter, sed quod eorum actus esset malus; dicit enim S. Doct. *quod actus non excusatur omnino, nisi in quantum motus naturae ordinatur actu, vel habitu ulterius ad prolem, secundum quod est bonum Sacramenti*. Quod sane evertit systema Adversariorum.

Neque dicas, S. Th. praevidisse hanc instantiam, eò quod in fine responsionis dicat: *Nec tamen sequitur, quod motus naturae sit malus, sed quod sit imperfectus, nisi ad aliquod bonum matrimonii ulterius ordinetur*. Nam aliud est motus ad actum, aliud ipse actus: motus naturae ad actum potest non esse malus, sed imperfectus tantum, & tamen ipse actus vitari aliqua circumstantia, quae impediatur relationem habitualem, quam requirit, ideoque esse malus. Et sane quis ista duo conciliare potest: actum non excusatur a peccato omnino, & actus non est malus?

Obj. 4. Thom. q. 2. de charitate a. 11. querens utrum omnes teneantur ad perfectam charitatem, ad 2. dicit: *Quod omnia virtute referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis, ad quam omnes teneantur*. Illa autem virtualis relatio non potest intelligi de relatione implicita, quia non pertinet ad perfectionem charitatis, & quia S. Th. dicit ibid. quod per eam homo potest in omnibus mereri, si charitatem habeat, per relationem autem implicitam non poterit mereri: ergo intelligi de relatione explicita. R. S. Th. per relationem virtualem hic intelligere relationem equidem explicitam, sed importatam in actu charitatis strictè, aut in aequivalenti, scilicet in amore Dei benevolò super omnia per quem, ut docet in 2. d. 28. q. 1. a. 3. impletur preceptum charitatis. *Quandocumque enim, inquit in 2. d. 40. q. unica a. 5. ad 6. aliquis cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere, tunc, quiaquid ad seipsum spectat, in Deum ordinatum erit*. Constat autem, quod per amorem Dei super omnia homo, si charitatem habeat, mereri possit, & quod iste amor possit elici a peccatore nondum justificato, seu charitatem non habente, ut probamus de attritione in Tract. de Poenit.

Obj. 5. S. Th. q. 22. de charitate a. 2. dicit: *Sicut in demonstrativis scientiis non rectè sumitur conclusio, nisi per resolutionem ad prima principia; ita appetitus creaturae rationalis non est rectus, nisi per appetitum explicitum ipsius Dei actu, vel habitu*. R. 1. S. Th. in hoc articulo resolvit, quod omnia enim appetant Deum, inanimata, & non cognoscencia implicitè, creatura rationalis explicitè. Undè hic sumit appetitum explicitum, non prout importat distinctionem Dei cognitionem, sed prout opponitur appetitui innato inanimatorum: & ideo addit, *per appetitum explicitum Dei actu, vel habitu*. R. 2. Dato, per appetitum explicitum S. Thom. intelligere distinctam Dei cognitionem dicit appetitum non explicitum non esse rectum, non quod sit malus, sed quia non est perfectus. Id evidens est ex ipso textu. Si quis enim elicit legitimum conclusionem ex immediatis principiis, licet non resolvat in prima principia, ista conclusio erit bona, sed non perfecta: ergo similiter, qui appetit aliquid bonum particulare propter ejus honestatem, licet non propter Deum explicitè, appetitus non erit malus, sed tamen imperfectus: alioquin dicendum foret, non solum quod agens peccaret, sed etiam quod actus ejus esset malus, non admittunt Adversarii.

Inst. S. Th. 1. 2. q. 19. a. 10. dicit: *Ad hoc quod aliquis recta voluntate velit aliquid particulare bonum, oportet, quod illud particulare sit volitum materialiter; bonum autem commune divinum sit volitum formaliter*. R. etiam in nostra sententia bonum commune divinum esse volitum formaliter: qui enim vult aliquid particulare bonum, illud vult formaliter propter bonitatem & honestatem, ut sic, quae est Deus.

Obj. 6. S. Thom. 1. 2. q. 21. a. 4. ad 3. dicit: *Totum, quod homo est, & quod potest, & habet, ordinatum est ad Deum: & ideo omnis actus hominis bonus, vel malus habet rationem meriti, vel demeriti apud Deum, quantum est ex ipsa ratione actus*; atqui non potest intelligi de relatione implicita, alias ratio meriti apud Deum fundaretur in solis naturae viribus: ergo de explicita. R. N. Min. ad prob. D. Ratio meriti, improprie dicti, & ad mercedem temporalem, fundaretur in solis naturae viribus, C. Meriti, proprie dicti, & ad mercedem aeternam, N. Non est autem in istis articulis, inquit Sylvius, sermo praesè de merito vitae aeternae, vel de merito respectu vitae sempiternae, sed generaliter intelligitur meritum, prout meritum dicitur omne id, quod facit aliquam mercedem aliquo modo

debitam, sive temporalem: sive æternam, sive debitam ex iustitia proprie dicta, sive ex alia. Itã celeberrimus Doctor Lovaniensis.

Inst. S. Th. 1. 2. q. 102. a. 6. ad 7. dicit: *Celestis intentio omnibus operibus nostris debet adiungi*; atqui relatio implicita non est celestis: ergo. R. 1. D. Min. Relatio implicita non est celestis explicitè, C. Min. implicitè, N. Min. 2. Dato, intelligendam esse celestem explicitè, nihil aliud his verbis intendit S. Th. quam quod dicit alibi, scilicet omnia debere referri in Deum explicitè, non immediatè in se, sed mediatè in sua causa, nempe in actu charitatis, quando ejus præceptum obligat; non autem obligat ad semper. Vide 1. Conclusionem, item 1. & 2. probationem secundæ Conclusionis. 2. Si contendas, intelligendam esse intentionem celestem quoad singulos actus immediatè in se, D. Maj. Debet adiungi omnibus operibus nostris in ordine ad vitam æternam, non in ordine ad bonitatem moralem, N. Cum enim, inquit S. D. cit. in secundâ prob. secundæ Concl. *aliquis ex dictamine rationis facit aliquid bonum, non referendo ad malum finem, non peccat*. Addo, S. Th. illic agere duntaxat de Fidelibus verum Deum colentibus; sicque in hoc ejus dicto fundari non posse sententiam Adversariorum, qui etiam Infideles adstringunt præcepto, omnia opera referendi explicitè in Deum propter se dilectum.

Obj. 7. S. Th. 2. 2. q. 83. a. 14. o. dicit: *De oratione dupliciter loqui possumus: uno modo secundum seipsam, alio modo secundum causam suam. Causa autem orationis est desiderium charitatis, ex quo procedere debet oratio, quod quidem debet esse in nobis continuum vel actu, vel virtute. Manet enim virtus hujus desiderii in omnibus, quæ ex charitate facimus: Omnia autem debemus in gloriam Dei facere, ut dicitur 1. Cor. 10. Et secundum hoc, id est, quia & in quantum omnia debemus in Dei gloriam facere, oratio debet esse continua. Unde Aug. dicit ad Probam? In ipsa fide, & charitate continuato desiderio semper oramus.* Ex quibus sic arguitur. S. Thom. fundat debitum orationis continuatam in præcepto Apostoli, *Omnia in gloriam Dei facite*: ergo in relatione explicita; quia non nisi per hanc potest esse oratio continua. Prob. Ant. Dicit S. Th. *Et secundum hoc, nimirum quia, & in quantum debemus omnia in Dei gloriam facere, oratio debet esse continua*; ergo. R. N. Ant. ad prob. N. expositionem textus; & dico tã *Secundum hoc* referri ad desiderium salutis, & non ad præceptum Apostoli. Si attendatur causa salutis, inquit Sylvius in expositione hujus articuli, quæ est desiderium salutis, reumque salutarium, ex quo procedere debet oratio, oportet, orationem esse diurnam, imò continuam; quia tale desiderium debet homini christiano esse perpetuum pro se, & pro aliis, saltem virtute. Itã eximus S. Thom. Interpret. Idque patet ex ipso textu Aug. quem cit. Th. Non enim dicit Aug. *in actibus fidei, & charitatis, sed in ipsa fide, & charitate continuato desiderio semper oramus*. Et alioquin sequeretur, quod homo, etiam charitate instructus; cum nihil ageret, aut mente distractus ageret nihil actu faciens in gloriam Dei, deficeret ab oratione, sicque non oraret continuo; quod est alienum a sensu S. Th. Insuper S. Th. 1. 2. q. 100. a. 10. & alibi intelligit textum Apostoli de charitate stricta: nolunt autem Adversarii suam relationem esse ex charitate stricta: ergo non favet ipsis S. Thom.

Solvuntur Objectiones ex Augustino.

Obj. 1. S. Aug. 1. 1. de Trin. c. 13. dicit: *Illã visio Dei, quã contemplabimur incommutabilem, atque humanis oculis invisibilem Dei substantiam... sola est summum bonum nostrum, cujus adipiscendi causa precipitur agere, quãquid rectè agimus*: ergo S. Aug. non sufficit implicita relatio. Prob. Cons. Rectè factum, & nulla prava circumstantia vitium, est in Deum implicitè relatum; atqui tamen juxta S. Aug. hoc ipsum rectè factum summi boni adipiscendi causa precipitur agere: ergo ulterius debet referri. R. Aug. sumere præceptum lato sensu pro consilio illius, quod est bonum, & optimum: alioquin sequeretur, quod, qui ex alio motivo etiam supernaturali, quam adipiscendæ beatitudinis, rectè operaretur, peccaret.

Neque dicas cum Adversario, sensum Aug. non esse, quod in omni actione debeamus formalitè intendere beatitudinem æternam, & ad illam omnia opera nostra referre; sed quod precipiatur nobis, quod in omni actu ad illam tendamus referendo illum ad Deum. Contra est enim quod Aug. formalissimè dicit, quod causa adipiscendæ beatitudinis precipitur agere, quãquid rectè agimus: quid est au-

tè agere causa beatitudinis adipiscendæ omne quod agimus, nisi intendere formalitè beatitudinem, & ad illam omnia opera nostra referre? Vel dicendum, S. Aug. hac phrasi nihil aliud velle, quam quod debeamus in omni opere habere Deum pro ultimo fine: ille autem habet Deum pro ultimo fine, qui, dum agit opus ex objecto bonum, illud nulla prava circumstantia, nullo pravo fine inficit. Et nisi alterutro sensu Aug. intelligas, ipsum conciliare non poteris. Docet enim S. D. l. de spir. & lit. c. 27. & alibi, quædam infidelium opera, etiam attento fine, esse laudanda, licet non sint facta causa æternæ beatitudinis adipiscendæ, nec relata explicitè in Deum.

Obj. 2. S. Aug. 1. 19. de Civ. c. 25. de virtutibus hominis infidelis dicit: *Virtutes, quas sibi habere videtur... nisi ad Deum retulerit, etiam ipse vitia sunt potius quam virtutes, cum ad seipsas referuntur, nec propter aliquid expetuntur, etiam tum superba, & inflata sunt; & idè non virtutes, sed vitia judicanda sunt; atqui, dum virtutes propter se appetuntur, est secundum nos virtualis relatio implicita in Deum: ergo. R. 1. Hanc objectionem ab Adversariis esse solvendam: non enim volunt, opera Infidelium sive sua relatione virtualitè explicita esse peccata, & vitia, ut dicit Aug. sed infidelium duntaxat peccare non referendo in Deum. Repouit Adversarius, has Infidelium virtutes secundum Aug. esse vitia, non sumendo vitium pro actione secundum se, sed pro complexo ex actione, & omissione, juxta communem modum loquendi. Sic v. gr. dicimus de famulo, qui injuncti laboris mediam partem tantum implevit, quod male fecerit; nemo tamen infert, quod peccaverit laborando. Sed contra Aug. non dicit, Infidelis in his virtutibus peccare, sed eas esse vitia, & peccata. Sicut ergo, si dicerem de famulo, qui injuncti laboris mediam partem tantum implevit, quod ejus labor est malus, juxta communem modum loquendi intelligeretur de labore secundum se, & non de complexo; itã similiter in nostro casu. Idque eo evidentius patet, quod Aug. vocet istas Infidelium virtutes *inflatas, & superbas*. Neque dicas cum Adversario, idè sic vocari ab Aug. quia cum non expeterentur propter Deum, debito honore illum privabant: qui enim luratur, aut fornicatur, longè magis Deum debito honore defraudat, quam qui ad eum actionem bonam non refert explicitè; & tamen iste fur, aut fornicator non dicitur inflatus, & superbus. R. 2. D. Min. Dum virtutes propter se appetuntur, est virtualis relatio implicita in Deum, si in eis non ultimè sistatur, C. Min. Si in eis ultimè sistatur tamquam in vera beatitudine, N. Min. Et hoc sensu loquitur Aug. ut patet ex verbis immediate seq. *Sicut enim non est a carne, sed super carnem, quod carnem facit vivere; sic non est ab homine, sed super hominem, quod hominem facit bene vivere*. August. ergo hic alludit ad Stoicos, qui in virtutibus moralibus suam beatitudinem constituunt; & de quibus serm. de verbis Apostoli c. 7. sic loquitur: *Existunt autem alii superbi quasi a carne se removentes, & totam spem suæ beatitudinis in anima sua constituentes, posuerunt summum bonum in virtute sua... Tales fuerunt Philosophi, qui Stoici nuncupati sunt... Dicebat Apostolus: Mihi adhærere Deo bonum est... Fatemur autem, virtutes, sic propter se ultimè appetitis non esse veras virtutes, sed vitia, quippe quod hac prava intentione interceptatur virtualis relatio ad Deum, hæretur in creatura illa fruendo. Sed si voluntas feratur in opus ex objecto bonum, non hærendo ultimè in ipso, neque in seipsum, aut in alium pravum finem retorquendo, sed ut est bonum inchoatum, & in suo gradu constitutum secundum rectam rationem; dicimus, quod sit moralitè bonum, & agens non peccat, quia virtualitè implicitè intendit Deum, ut hujus boni inchoati perfectionem, & consummationem.**

Inst. Adversarius Aug. loco cit. de Civit. non magis agit de Stoicis, quam de Turcis; sed generalitè agit de omnibus illis, apud quos non est vera Religio. R. Adversarius hic loquitur contradictoria. Si namque agat Aug. generalitè de omnibus, apud quos non est vera Religio, ergo etiam agit de Stoicis, apud quos non erat vera Religio, & magis quam de Turcis, qui tunc nondum extabant: sicut, si nunc agerem generalitè de omnibus, apud quos non est vera Religio, indubitè agerem de Turcis, apud quos non est vera Religio. Et sicut non implicat, quod, qui ageret generalitè de omnibus Infidelibus, interdum sermonem deflecteret ad Turcas, itã nihil impedit, quominus Aug. agens generalitè de Infidelibus, de Stoicis in particulari, occasione data, locutus fuerit. Et itã esse patet ex eo, quod in utroque loco eundem modum loquendi teneat. In lib.

libr. de Civit. vocat virtutes Infidelium *inflatas & superbas*. In serm. de verbis Apostoli vocat Stoicos superbos. In libr. de Civit. dicit: *Sicut enim non est a carne, sed super carnem, quod facit vivere; sic non est ab homine, sed super hominem, quod hominem facit bene vivere*. Quæ verba exprimunt aperte dogma Stoicorum conformiter ad ea, quæ de ipsis dicit in serm. de verbis Apostoli. Existerunt autem, inquit ibi, alii superbi quasi a carne se removentes, & totam spem suæ beatitudinis in anima sua constituentes, posuerunt summum bonum in virtute sua. Tales fuerunt Philosophi, qui Stoici nuncupati sunt.

Neque dicas cum Adversario, sensum horum verborum in libr. de Civit. *Sicut enim non est a carne &c.* non esse, quod infideles existimarent, quod in virtutibus ad se, & non ad Deum relatis consisteret beatitudo, sed quod conduce-rent ad beatitudinem. Contra enim 1. sistendo in paritate Aug. sicut de materia ad vitam disposita, licet conducatur ad vitam, non dicitur secundum Aug. quod faciat vivere, sed solus Deus; itã nec de virtute conducente ad vitam beatam dicitur secundum Aug. quod faciat vivere beate, sed solus Deus. 2. Aug. expressè docet in serm. de verbis Apostoli, Stoicos constituisse suam beatitudinem in sua virtute: quidni haberet eundem sensum in libr. de Civit. ubi tenet eundem modum loquendi. 3. Deniquè juxta aliquos responderi potest, S. Aug. in libr. de Civit. condemnare eos, qui expectabant virtutes propter se quidem, non tamen secundum se præcisè & ut abstractas a subjecto, sed in concreto & ut in subjecto, scilicet ut virtuosus apparent. Si inferas: ergo non solum propter se, sed propter aliud expectantur. R. quod solum propter se in concreto & ut in subjecto expectantur, & hoc sensu non propter aliud. Cæterum, nisi alterutro sensu Aug. intelligas, non video quomodo salvari possit a damnatione hujus propositionis: *Omnia infidelium opera sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*. Neque dicas cum Adversario, S. Aug. alibi admittere opera infidelium posse esse bona: nam etiam ipsi Auctores propositionis damnate non negant, opera infidelium posse aliquo sensu dici bona, & nihilominus fuerunt damnata.

Obj. 3. S. Aug. 1. 1. de Doctr. Christ. c. 22. dicit: *Hæc regula dilectionis divinitus constituta est: Diliges, inquit, proximum tuum sicut teipsum, Deum vero ex toto corde & ex tota anima & ex tota mente, ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam & omnem intellectum in illum confers, a quo habes ea ipsa, quæ confers. Cum autem ait, toto corde, tota mente, nullam vitæ nostræ partem relinquit; quæ vacare debeat, & quasi locum daret ut alia re vellet frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animam, illuc rapiatur, quod totus dilectionis impetus currit: ergo juxta Aug. omnia sunt referenda ad Deum, itã ut nulla pars vitæ nostræ relinquantur, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re frui velit. Quod autem sit re aliqua frui, expressit ibidem Aug. c. 4. Frui est amore alicui rei inhærere propter seipsam; ut autem, quod in usum veniat, ad id quod amas obtinendum referre. R. hæc omnia verificari secundum Sententiam nostram: 1. In actu charitatis, dum urget præceptum. Deinde etiam extra casum; quo urget præceptum, in omni actu bono nulla ex parte vitiatum. Cum enim appetatur formalitè explicitè virtutè honestatem particularem hujus actus, appetitur virtualitè explicitè propter honestatem ut sic, quæ cum in re sit Deus, appetitur virtualitè implicitè propter Deum; sicque non est ea re frui, sed uti.*

Contra hanc 2. Responsum insurgit Adversarius ex Aug. ibid. c. 22. Cum dixisset: *Res illæ tantum sunt, quibus fruendum est, quas æternas atque incommutabiles commemoravimus*, subdit: Cæteris autem utendum est, ut ad illarum fruitionem pervenire possimus; atqui relatio virtualitè implicita, cum sit naturalis, non conducit ad Dei fruitionem: ergo. 2. S. Aug. ibid. c. 22. sic loquitur: *Quæritur, utrum propter se homo ab homine diligendus sit, an propter alium? Si enim propter se, fruimur eo; si propter alium, utimur eo. Videtur autem mihi propter alium diligendum: ergo juxta Aug. diligere proximum propter se, seu propter ejus particularem bonitatem, non est sufficientè referre actum suum in Deum, cum sic diligere non sit uti proximo, sed frui. R. ad 1. In primis non dixit Aug. quod cæteris utendum sit, quatenus iste usus conducit ad beatitudinem, sed quod sit cæteris utendum, ut pervenire possimus ad beatitudinem. Qui autem facit actum bonum nulla ex parte vitiatum, sic utitur creaturis, ut, aliis adhibitis, possit pervenire ad beatitudinem; necesse est enim ad illam adipiscendam, ut actus bonos & non malos faciat, licet soli non sufficiant. Sed, etsi Aug. dixisset, quod iste usus de-*

beat conducere ad beatitudinem, nihil obesset; quia reverè conducit, non quiddam positive, sed præsuppositivè & negativè. Præsuppositivè; quia, ut jam dixi, prærequiritur ad adeptionem beatitudinis, ut actus sit moralitè bonus, & nulla ex parte vitiatum. Negativè; quia faciendo actus moralitè bonos, non peccat, & sic non remanet impedimentum beatitudinis; quod voco conducere negativè. Ad 2. D. Propositionem Aug. & simul Conseq. Si hominem propter se diligimus constituendo in eo nostrum finem, eo fruimur, C. Non constituendo in eo nostrum finem, N. Hæc solutio, seu explicatio non est mea, sed ipsius Aug. qui in eodem l. c. 33. dicit: *Si verò inhæseris atque permiseris in delectatione creaturæ, finem in ea ponens lætitiæ tuæ, tunc verè & propriè frui diceatur es*. Requiritur ergo juxta Aug. ut dicamur frui creatura, ut in ea finem nostrum ponamus. Porro, qui facit actum moralitè bonum nulla ex parte vitiatum, v. gr. qui absque ullius prævæ circumstantiæ admixtione diligit parentes, amicos, viros probos, motus honestate particulari hujus legitimi amoris, nullatenus constituit finem suum in istis objectis, sed in ipsa honestate ut sic, quæ in re Deus est. Et hæc semel dicta ex Aug. sufficiunt sæpe iteratis instantibus Adversarii, petitis ex usu & fruitione creaturarum.

Obj. 4. S. Aug. 1. 9. de Trin. c. 7. & 8. dicit: *Nemo volens aliquid facit, quod non in corde suo prius dixerit: quod verbum amore concipitur sive creaturæ, sive creatoris... ergo aut cupiditate, aut charitate. Non quod non sit amanda creatura, sed si ad creatorem referatur ille amor, non jam cupiditas, sed charitas erit. Tunc enim est cupiditas, cum propter se amatur creatura, tunc non utentem adjuvat, sed corrumpit fruentem. R. S. Aug. ibi sumere charitatem lato sensu, pro amore boni honesti, ut ipsi familiare est. Sic libr. de Grat. Christ. c. 21. Quasi verò, inquit, aliud sit bona voluntas, quam charitas. In Ps. 136. Ipsa est charitas, quæ dicitur bona voluntas. Et l. 8. de Trin. Quid est dilectio, vel charitas, nisi amor boni? Sic ergo juxta Aug. amor creaturæ, v. gr. parentum, uxoris, filiorum, secundum dictamen rectæ rationis, est charitas dicto sensu, & refertur ad Deum. Amor autem creaturæ constituendo in ea finem, vel illud prava circumstantia, aut pravo fine inficiendo, est cupiditas; quia non refertur ad Deum, nec etiam virtualitè. Neque enim dici potest, amorem parentum juxta dictamen rationis, nulla circumstantia vitiatum, esse cupiditatem; quia tunc non solum peccaret amans, sed etiam amor, utpotè cupiditas, foret malus; quod neque juxta Aug. neque juxta Adversarios dici potest.*

Inst. Aug. 1. 3. de Doctr. Christ. c. 10. definitis charitatem; dicit: *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum: ergo. R. Non negamus, Aug. sæpe sumere charitatem stricto sensu: sed negari non potest, quin etiam sæpe sumat lato sensu; pro amore boni, ut vidimus. Aliunde non volunt Adversarii, quod teneamur referre opera nostra in Deum ex charitate stricta: ut quid ergo urgent ex Aug. charitatem strictam?*

Deniquè, si primus textus Aug. & quæ illi subjicit Adversarius n. 238. dicens, *quidquid fit amore fieri vel creaturæ, vel creatoris, & consequenter cupiditate vel charitate*. Si hæc, inquam, intelligantur de charitate stricta & supernaturali, itã ut omne, quod non est ex charitate stricta, sit ex cupiditate vitiosa; statim occurrunt sequentes propositiones damnatæ. Prima: *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*. Est 44. inter Quesnellianas. Affines sunt sequentes usque ad 59. Secunda: *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quæ per Spiritum S. in corde diffusa Deus amatur*. Est 38. inter Baianas. Tertia: *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est*. Est 7. inter damnatas ab Alex. VII.

Obj. 5. Aug. 1. 4. contr. Jul. c. 3. alloquens Julianum, dicit: *Novit non officis, sed finibus a vitis discernendis esse virtutes. Officium est autem, quod faciendum est, finis verò propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur. Et infra. Quidquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri vera sapientia præcipit, ipso non recto fine peccatum est.* Item infra, quærenti Juliano, si Gentilis nudum operuerit; numquid, quia non est ex fide, peccatum est? Respon-

det:

det: Propter in quantum non est ex fide, peccatum est, non quia per se ipsum factum, quod est nudum operare, peccatum est, sed de talis opere non in Domino gloriam, solus impius negat, esse peccatum. Ex quibus evidens est, non sufficere Aug. ut agens non peccet, quod ejus opus sit ex objecto bonum, sed insuper requiratur, ut alia ulteriore relatione referatur in Deum; quae alia esse non potest nisi virtualis explicita...

Antequam respondeam, observo, S. Aug. ex his principiis inferre contra Julianum, opera Infidelium esse peccata, & eorum virtutes vitia: si ergo Aug. ista sic intellexit, ut necessaria sit relatio explicita, sine qua homo opus ex objecto bonum agens peccat, ut intelligunt & voluit Adversarii, debent admittere hanc illationem, scilicet, omnia opera infidelium sunt peccata, esse ex mente Aug. aut fatentur, necesse est, se non intelligere legitimum sensum Aug. Quis sit autem S. Doctoris sensus legitimus, in bona luce posuimus diss. 3. de Gratia a. 3. §. 2. in majori nostro Opere. Itaque nunc...

R. 1. Aug. haec verba, non recto fine, non in Domino gloriam, & similia, non sumere contradictorie, seu negative, sed contrarie; quasi diceret: in alio quam in Domino gloriam, & perverso fine agere, peccatum est; ut videlicet ex negatione affirmatio intelligatur. Quo sensu in Scriptura 1. Reg. 18. Saul dicitur non rectis oculis aspexisse Davidem. Ita Aug. interpretatur S. Th. & Estius, ut ostendimus loco cit. de Gratia. Idque manifestum est ex ipso Aug. eodem cap. 3. cit. „Quia, inquit, non fidei, sed infidei, hoc est, STULTA ET NOXIA, faciunt voluntate. Ibid. Possunt ergo aliqua bona fieri, non bene facientibus a quibus fiunt: bonum est enim ut subveniatur homini periclitanti, praesertim innocenti; sed ille, qui hoc facit, si AMANDO GLORIAM HOMINUM magis, quam Dei, facit, non bene bonum facit; quia non bonum facit, quod non bona voluntate facit; absit enim ut sit, vel, dicatur voluntas bona, quae in ALIIS VEL IN SEIPSA, non in Domino, gloriam.

Ad observationem praemissam responsioni obmutescit Adversarius, cum tamen sit gravissimis ponderis: contra vero responsionem sic arguit. Nunquam admisit Julianus, quod opera ad malum finem relata essent bona: ergo desuper non fuit controversia inter Aug. & Julianum. Prob. Ant. Dicit Aug. Juliano: Jam cernis, ut arbitror, consequens esse ut vera sit virtus avarorum prudentia, qua excogitant genera lucellorum. Ex quibus patet, quod, virtutes ad malum finem relatas esse veras virtutes, sit consequens quod Aug. deducit ex principio Juliano, non doctrina Juliano: ergo. R. N. Ant. Ad Probat. D. Virtutes ad malum finem relatas esse veras virtutes est consequens, quod Aug. deducit ex principio Juliano, & quod negabat Julianus, N. & quod non negabat Julianus, quodque eum admittere supponebat Aug. C. & N. Conseq. Patet tum ex textu Aug. in Resp. nostra laudato, ubi impugnando Julianum ostendit, opera facta ex malo fine non esse bona. Ut quid enim in hoc desudasset Aug. si non admisisset Julianus esse bona? Tum ex ipsis verbis objectis & sequentibus. Dicit enim Aug. „Jam tamen cernis, ut arbitror, consequens esse, ut vera sit virtus avarorum prudentia, qua excogitant genera lucellorum...: ergo virtutes istae tali fine turpes atque deformes, & ideo nullo modo germanae veraeque virtutes, tibi tamen videntur & pulchrae, ut (verba sunt Juliano) nec nominis sui possint, nec generis sustinere dispendium... Ex quo te tanta absurditas sequitur, ut veram cogaris appellare justitiam, etiam cum DOMINAM repereris AVARIAM.“ Sic autem Aug. non potuisset alloqui Julianum, nisi supponendo, eum admittere consequens, quod ex illius principio deducebat. Sit exemplum: v. gr. Molinista arguens contra Thomistam, aut Augustinianum, ex positione gratiae per se efficacis destrui liberum arbitrium, non posse dicere Thomistae, vel Augustiniano: Jam cernis, ut arbitror, consequens esse, ut gratia per se efficax destruat liberum arbitrium: ergo destructio liberi arbitrii per gratiam ex se efficacem tibi videtur dogma verum: ex quo te tanta absurditas sequitur, ut cogaris appellare dogma verum, quod est hereticum. Non posset, inquam, sic loqui Molinistae, nisi supponendo, Thomistam, aut Augustinianum admittere consequens, scilicet ex positione gratiae per se efficacis destrui liberum arbitrium. Ita in nostro casu. Insuper S. Th. ut jam dixi, intelligit sicuti nos Augustinum. En ejus verba 2. 2. q. 23. a. 8. ad 1. Aug. dicit in 4. contra Julianum, quod actus Infidelis, in quantum est Infidelis, semper est peccatum, etiamsi nudum operat, vel aliquid hujusmodi faciat, ordinans ad finem suae infidelitatis.

Ast inquit Adversarius, S. Th. non dicit concertationem inter Aug. & Julianum fuisse de operibus bonis, ad malum finem relatis. R. S. Th. dicere, Aug. scribentem contra Julianum loqui de operibus bonis ad malum finem relatis, quod est dicere S. Aug. disputasse contra Julianum de operibus relatis ad malum finem, praesertim si attendatur ad ea, quae dixi in responsione. Sed neque hoc solum dixit S. Th. in eadem resp. ad 1. loquens de actu Infidelis procedente ex bono naturae, non relato ad malum finem, non dicit, quod sit malus, sed bonus ex suo genere, non tamen perfectus bonus, quia deest debita ordinatio ad ultimum finem; quae est secunda responsio nostra, ut mox videbimus. Sicque S. Th. duplici membro suae responsionis concludit totam concertationem inter Aug. & Julianum, quae fuit & de actibus ex objecto bonis Infidelium ad malum finem relatis, qui ideo sunt mali; & de istis actibus ad malum finem non relatis, qui non sunt perfecti boni. Sancto Thom. quod interpretationem Aug. adjuvamus celeberrimum Estium Doctorem Lovaniensem, de quo silet Adversarius.

Denique nostram interpretationem esse legitimam, ultra constat ex hoc, quod Aug. dicat in objectione, quod solus impius neget esse peccatum non gloriam in Domino de elemosyna. Si enim non sumat S. D. non gloriam in Domino contrarie, pro eo, quod est in alio, quam in Domino gloriam, & ex pravo fine agere, sed contradictorie, pro eo quod non est referre explicitè in Deum, ut volunt Adversarii, sequitur, quod omnes, nobiscum sentientes, hoc est, ferme omnes Doctores Catholici, qui negant esse peccatum non referre virtualiter explicitè opus bonum in Deum, dicendi sint impii; quod non admittunt Adversarii.

Singularis nobis videtur responsio Adversarii ad hanc Instantiam. Dicit, quod tempore Aug. nullus Catholicus negabat obligationem relationis explicitae, sed omnes Catholici in eam sententiam conspirabant, & ideo non dicit Aug. quod esset impietas illam negare, sed quod solus impius illam neget; unde non sequitur, quod nunc dicendi sumus impii. Fallor, si haec responsio non videatur omnibus, exceptis forte Lovaniensibus, paradoxum. Incredibile namque est, omnes Scholas Catholicas, excepta, & quod sciam, Lovaniensi, recessisse a tot annis in materia praecipui divini a sententia, in quam tempore Aug. omnes Catholici conspirabant, & in errorem oppositum lapsas esse, absque eo quod vel Ecclesia, vel summi Pontifices, vel Episcopi reclamaverint. Jucundum foret scire, ubi, quando, quo Auctore iste error primùm irrepit in Scholas catholicas.

R. 2. ad principale argumentum. Opera, quae sunt sine fide per dilectionem operantur, ex recto tamen fine naturali, vocari ab Aug. peccata lato sensu, sumendo peccatum pro omni eo, quod a fine deficit, & cui deest plenitudo suae perfectionis, seu ut dicit S. Thom. prius cit. pro non perfectè bono, qualia sunt hujusmodi opera, quae cum non fiant ex charitate, sunt sterilia ad Regnum Coelorum. Eodem sensu dicit, virtutes Philosophorum non esse veras virtutes, sed vitia; quia, licet possint esse, etiam raro, sine malo fine, ut admittit Aug. lib. de Spiritu & Litt. non tamen conducunt ad vitam aeternam. Loquitur enim Aug. de virtutibus & bonis operibus, non moraliter & secundum Philosophos, sed prout sunt meritoria Regni caelestis, seu ut dicit in eodem cap. 3. Per quae solum homo potest ad aeternum Dei donum, regnumque perducit.

Contra hanc resp. sic arguit Adversarius. Julianus concedebat, sua bona opera non esse meritoria vitae aeternae: ergo Aug. non agit de illis, ut meritoris. R. D. Conseq. Non agit de illis, ut meritoris, id est, ut probet non esse meritoria, C. Id enim concedebat Julianus. Ut probet, non debere dici absolute bona, N.

Inst. Si S. Aug. fuisset nostrae sententiae, Julianus potuisset illi respondere ipsa opera posse aliquo sensu dici bona; id enim nos dicimus. R. Id etiam concedit Julianus ab Aug. in fine capituli, ut mox videbimus. Et numquid ipsi Adversarii concedunt, hujusmodi opera esse aliquo sensu bona?

Reponit Aug. ibid. dicit: Fieri non potest, ut steriliter boni sumus: ergo, si ista opera sunt bona, sunt meritoria. R. D. Conseq. Si ista opera sunt bona bonitate supernaturali ad sensum Aug. sunt meritoria, C. Si sint bonitate morali tantum, Subdistinguo, sunt meritoria mercedis temporalis, C. aeternae, N.

Verum rem perentorie dirimit Aug. ipse in fine hujus c. 3. concludens totam suam Dissertationem cum Juliano verbis sequentibus, quae vix attingit Adversarium; Brevis, inquit S. D. accipe, ne forte cum in rebus ipsis tam

tum erres, quantum errari plurimum potest, videat tecum certare de verbis... Quoniam saltem concedis, opera Infidelium, quae tibi eorum videntur bona, non eos ad salutem sempiternam, regnumque producere, Scito: nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia, quae datur per unum Mediatorem Dei & hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad aeternum Dei donum, regnumque perducit. Omnia proinde caetera, quae videntur inter homines habere aliquid laudis, videntur tibi vere virtutes, videantur opera bona, & sine ullo peccato facta... dicantur secundum de hujusmodi voluntates arbores bonae, sufficit, quod apud Deum steriles sint, ac per hoc non bona. Quibus verbis luce clarius patet, S. Aug. hoc unum contendere contra Julianum, opera & virtutes Infidelium, quae non referuntur ad malum finem, hoc sensu non esse bona, quia ab ordine vitae aeternae deficient, eoque sensu dici peccata & vi-

ta, quia eis deest suae perfectionis plenitudo: hoc vero concessio, permittit ut secundum alium sensum dicantur bona & virtutes. Quaedam leviora, quae ex saepe cit. cap. 3. opponuntur, omitto, quia ex dictis facile solvantur.

Tandem hoc praecipuum referendi explicitè omnes actiones suas in Deum concludit & infert Adversarius non esse intolerabile, ut objeceram, ex eo quod consilium de eadem relatione, me concedente, non sit intolerabile. At fallitur vir eruditus. Potest enim consilium de re difficili esse tolerabile, & praecipuum de eadem re intolerabile, quia adstringit praecipuum, non consilium. Sic consilium de castitate perpetua, de paupertate & obedientia religiosa, est tolerabile; praecipuum autem foret intolerabile.

Plura alia, hanc Quaestionem spectantia, & hic omissa, requirenda sunt in prima & secunda ejus editione typis Impensis. Hic enim mihi una mens fuit respondere R. P. MAUGIS.

DISSERTATIO V.

DE ELEEMOSYNA.

Div. Thom. Quaest. 32.

Postquam Auctor egit de ipsa charitate & praecipuo ejus actu, qui est dilectio, agit de ejus effectibus tam interioribus, quam exterioribus. Interioris tres assignat, scilicet gaudium, pacem & misericordiam. Gaudium spirituale, de quo loquitur, (Hic q. 28. art. 1. o.) est quaedam dolectatio de Deo: est affectus charitatis; charitas enim est amor; gaudium autem oritur ex amore, vel propter praesentiam rei amate, vel quia bene est amico dilecto. Quando ergo est de bonis Dei; provenit ex eo, quod Deum diligamus. Pax (Hic q. 29. art. 1. & 3. o.) non solum dicit unionem voluntatum in diversis, sed etiam concordiam omnium appetituum, qui sunt in eodem. Haec pax causatur a charitate; quia charitas facit, quod omnes appetitus nostri, tam inferior, quam superior, inter se consentiant, quatenus seruntur in unum, scilicet Deum & ipsi subjiciuntur. Facit etiam, quod consentiant cum voluntate proximi, amando illum & ipsi bonum volendo sicuti nobis.

Misericordia (Ibid. q. 30. a. 1. o.) definitur ab Aug. 9. de Civit. c. 5. Aliena miseria in nostro corde compassio, seu tristitia, qua utique, si possemus, subvenire compellimur. Dicitur enim misericordia ex eo, quod aliquis habet miseriam cor super miseria alterius; quatenus autem felicitati opponitur. Unde motivum, seu objectum misericordiae est malum alterius sublevandum, quod sit illi aliquo modo involuntarium. Haec definitio tradita misericordiae actualis per compassionem, seu tristitiam conveniunt tantum misericordiae prout est in nobis: Generaliter autem sumpta, Est voluntas, seu affectus alienam miseriam sublevandi: & sic reperitur in Deo Misericordia, (Ib. a. 3. o.) prout pertinet ad appetitum intellectuale, est virtus specialis; tum quia habet speciale objectum, scilicet miseriam alienam ope nostra sublevandam; tum quia habet specialem difficultatem superandam, ut voluntas sistat in medio; aliquando enim in appetitu inferiori surgit nimis affectus sublevandi miseriam proximi, aliquando tardior: possunt etiam esse difficultates ex aliis circumstantiis, ad quas superandas, & ut passiones reducuntur ad medium, opus est virtute, quam dicimus misericordiam, potestque definiti: Virtus inclinans voluntatem ad alienam miseriae compassionem & sublevationem. Reduci potest ad justitiam, quatenus est ad alterum. De illa autem hic agit S. Th. propter magnam affinitatem, quam habet cum charitate, ex cuius quasi visceribus nascitur: ex amore enim proximi nascitur voluntas sublevandi ejus miseriam, quam velat nostram reputamus.

Deinde Auctor assignat tres actus, seu effectus exteriores charitatis, scilicet beneficentiam, elemosynam & correptionem fratrem. Beneficentia est (Ibid. q. 31. a. 1. o.) actus charitatis; quia beneficere amico secundum rationem boni in communi, non attendendo vel rationem debiti erga proximum, vel ejus miseriam, vel aliam specialem rationem, sequitur ex charitate: in charitate enim includitur benevolentia, qua quis vult bonum amico. Voluntas autem est effectiva eorum, quae vult, si facultas adit. ergo beneficere amico ex charitate consequitur

tantum ejus effectus. Sicut dilectio charitatis (Ibid. art. 2. o.) se extendit ad omnes, sic omnis est beneficendum, pro loco tamen & tempore; quia actus virtutum sunt secundum debitas circumstantias limitandi. Inter eos (Ibid. art. 3. o.), quibus est beneficendum, observandus est ordo, sicut supra dictum est de ordine charitatis servando. De Elemosyna vero & correptione fraterna sunt speciales difficultates expendenda. Unde sit

ARTICULUS I.

Quid & quomplex sit Elemosyna?

Elemosyna graecè idem est, ac latine misericordia; (Hic q. 32. art. 1. o.) in communi tamen usu misericordia sonatur pro virtute seu habitu, & Elemosyna pro actu. Definiri potest: Opus, quo datur aliquid indigentibus ex compassione propter Deum. In qua definitione Elemosyna non sumitur, ut saepe solet, pro re data, sed pro actione dandi. Dicitur propter Deum, quia hic agit de Elemosyna christiana, prout distinguitur a Philosophica, quae fit ab Ethnico, vel quovis alio, sine ordine ad Deum.

Dico 1. (Ib.) Elemosyna est actus charitatis, mediante misericordia: quia exterior actus ad illam virtutem pertinet, ad quam pertinet motivum ad agendum hujusmodi actum; atque motivum ad dandum elemosynam est, ut subveniant necessitatibus patienti, quod pertinet ad misericordiam, ut dictum est: ergo dare Elemosynam est actus misericordiae: & quia misericordia est effectus charitatis, ut etiam diximus, ex consequenti dare Elemosynam est actus charitatis, mediante misericordia, ideoque est actus elicitus a misericordia & imperatus a charitate. Quod si fiat Elemosyna ex alio motivo, puta ad satisfaciendum pro peccatis, erit actus imperatus a virtute poenitentiae; si in cultum Dei, erit actus imperatus a Religione.

Dico 2. (Ibid. a. 2. o.) Elemosynae sunt duplicis generis, corporales & spirituales, juxta duplicem miseriam, seu defectum hominis, corporis scilicet & animae. Septem sunt Elemosynae corporales (Ib. in arg. 1.) scilicet pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, recolligere hospitem, visitare infirmum, redimere captivum & sepelire mortuum, quae in hoc versu continentur.

Visto, potu, cibo, redimo, rego, colligo, condo. Sunt (Ibid.) etiam septem Elemosynae spirituales, scilicet docere ignorantem, consulere dubitanti, consolari tristem, corrigere peccantem, remittere offensentem, portare onerosos & graves, & pro omnibus orare, quae etiam hoc versu continentur.

Consulo, castiga, solare, remitte, fer, ora. Ita tamen, quod sub ly Consulo intelligantur consilium & doctrina.

Dices. Christus Matth. 25. recensens opera misericordiae non meminit sepulturae; nec videtur quid sepultura juvet mortuum. ergo. R. ad 1. Ibid. ad 1. Christum non meminisse sepulturae, 1. quia voluit enumerare ea, quae sunt